



T H O M Æ
CAMPANELLÆ
 HISTORIOGRAPHIA.

*QVID SIT HISTORIOGRAPHIA,
 Et quomodo scientiis bases supponit: nec
 tamen prima, sed quinta pars Ratio-
 nalis Philosophiæ sit.*

CAP. I. ART. I.



*H*istoriographia est Ars rectè scribendi historias
 (sicuti sonat nomen,) ad scientiarum bases
 fundandum.

DECLARATIO.

OMnis enim scientia in his, quæ à sensibus accepimus,
 fundamentum habet: sensus autem nostri & alieni
 quasi narratores testesque Animo scientiarum invento-
 ri constructori ac doctori, sunt. Ex eorum enim narra-
 tione, quia res sunt, hocque & illo modo, ad inuestigan-
 dum propter quid sunt, & à qua, & de qua causa, & cu-
 ius instar, procedit: mox iudicat, & decernit, & definit,

H h ij